

*Medicus* in linguâ sanctâ dicitur â radice מֵדִי in fine per Aleph, quod præsertim patet ex versu penultimo cap. XV. Exodi, ex Job. V, 18. Psalm. LX, 4. CIII, 3. Hof. XI, 3. ubi facultas medendi DEO ipsi adscribitur, ut ceteros jam locos præteream. Notanter verò *Jobannes Buxtorfius* ( in *Lexico Ebraico - Chaldaico* ) addit, quod dicta illa radix sæpius suam formam cum מֵדִי commutet, quæ infert ex suo significato debilitatem, defectum, destitutionem & remissionem, ubi non tam obiectum quam officium Medicorum indigitatur: sunt enim profectò relata & correlata (terminis artis utentibus concedendum est) *Medici & infirmi*, quod nec ipse CHRISTUS abnuit, quando apud Evangelistam ( *Mattb. 18, 12.* ) carpentibus & culpantibus Momastris Pharisæis hunc in modum respondit, *Non opus habent hi, qui validi sunt, medico, sed qui male habent* quod & *Marcus cap. 11, 17.* & *Lucas cap. V, v. 31.* repetierunt. κακῶς verò ἔχοντες sunt cachectici, qui laborant cachexiâ. Et hoc ipsum Ethnici ex naturæ lumine perspexerunt, unde doctissimus *Plutarchus* in *Apophthegm.* οὐδ' ἰατροὶ παρὰ τοῖς ὑγιαίνουσιν, ὅπου δ' οἱ νοσῶντες, διαλεῖσθαι ἐνώθησαν, *Neque medici apud bene valentes, sed ubi agroti sunt, agere consueverunt.* Et *Ovidius lib. III. de Ponto eleg. 4.*

Firma valent per se, nullumq; Machaona quærunt,  
ad medicam dubius confugit æger opem.

*Machaoni* nomen est ἀπὸ τοῦ μάχισθαι â pugnando, pugnat enim medicus & perpetuum bellum gerit non tam cum morbis quam (non rarò) morbidis & morbofis. Dicitur cum fratre *Podalirio*, & ipso medicæ artis peritissimo, profectus ad bellum Trojanum, fuisse verò filius *Æsculapii* medici, qui fuit *Apollinis*, quem ejusdem artis facit *Ovidius* ita loquentem inducens *lib. 1. Metam v. 521. seqq.*

Inventum Medicina meum est, opiferque per orbem  
dicor, & herbarum est subjecta potentia nobis.

Hei mihi! quòd nullis amor est medicabilis herbis,  
nec profunt domino, quæ profunt omnibus, artes.

Sed, quod ad posteriores duos versus, si *Apollo & Medicorum DEUS* fuit & *Poëtarum*, nôsse debebat, quod suo inspirârat *Nasoni* *lib. 1. de Ponto eleg. IV.* ita profato

afferat

):( 2